

16



18

M E D I C A T I O
 M U L I E R I S
 S Y N C O P E N
 P A T I E N T I S:
 Q V A M

Divino adjuvante Numine,

SUB PRÆSIDIO
 CLARISSIMI VIRI
 D. HENRICI REGII,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ
 ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè venturam proponit

JOHANNES PELT, Gorc:-Batav.

Ad diem 17. Martij, horâ 9. matutinâ.



Natura & Industria.

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ Iohannis à Noortdijck, In Academ. Typograph.

ANNO MDCCXLVII.



Insigni pietate ac eruditione conspicuis Dominis

D. EGBERTO STEDOM, } Illi fautori de studiis me
is plurimum merito.
D. JOHANNI EMILIO, } Huic amico & quōdam
collegæ charissimo.
Ecclesiæ Christi apud Roterodamenses pastoribus vigilan-
tissimis, disertissimis.

U T E T

Doctissimis, & spectatissimis Dominis,

D. CORNELIO ELBARCHS, Med.
Doct. acutissimo.

D. ARNOLDO VERWOUWT,
Prof. Theol. Candidato piissimo.

In gratia, benevolentia & amoris symbolum

Hoc Medicum exercitium

inscribo

JOHANNES PELT

MEDICATIO MULIERIS
 S Y N C O P E N
 P A T I E N T I S.

I.

Mulier triginta annorum, temperamento biliosa, videns ancillam suam cum infante, quem ulnis gestabat periculosissimo lapsu ex scalis decidere, magno terrore fuit perculsa. Inde mox incidit in ventriculi rosiones, vomitum biliosum & serosum concitantes; atque etiam in magnos artuum dolores: quos paulo post insecutus est cadaverosus totius faciei pallor; membrorum flaccidorum refrigeratio, & sudor; pulsus rarus, obscurus, & interdum quasi abolitus; omnis penè sensus & motus ablatio. Ab hac anxietate difficulter postea liberata, jam sæpius similes passa est insultus. Quoties ad se redit, de magna oris conqueritur amaritudine.

II.

Afficitur in hac ægra *ventriculus*; ut constat ex rosionibus in eorum circa os ensi forme perceptis, & oris amarore; item *artus*; quod docent eorum dolores; nec non *cor*; quod ex pulsu languido, & totius corporis refrigeratione: & denique *cerebrum*; quod ex abolito sensu & motu patet.

III.

Morbus præcipuus; qui eam jam aliquoties torfit, est intemperies cordis frigida, quæ pallorem vultus cadaverosum; frigidum totius corporis sudorem; pulsum rarum & pene abolitum; nec non sensuum & motus abolitionem accersens, *lypothymia* vel *syncope* nuncupatur. Nec obstat, quod ea à biliosâ materiâ,

T 2 in cor

in cor effusâ, oriatur: Nam & oleum nimis copiosum, in ignem injectum, intemperiem frigidam in foco inducit.

IV.

Causa prima sive procatartica hujus morbi fuit terror, quo hæc fœmina, ex infantis periculosè labentis conspectu, vehementer fuit percussa. Causa antecedens est congeries biliosorum, acrium, & serosorum humorum, in vasis & circa ventriculum collecta. Ea verò ubi à perturbatione spirituum, ex vehementi terrore excitatâ, in ventriculum & artus, nec non in cor copiosius defertur, continens ejus est causa.

V.

Ex magno enim illo terrore spiritus in cerebro ita primum fuerunt determinati, & pori cerebri, in nervos spectantes, ita aperti, ut spiritus in totum corpus magnum impetum fecerint, quo humores serosi & biliosi, in corpore collecti vel geniti, à reliquo sanguine fuerunt separati; iique, ex receptaculis suis in varias partes propulsi, excitarunt in ventriculo rōsiones & vomitus biliosos & serosos; in artubus dolores articulares; in corde verò, copiâ & crassitie, aliâque ad dilatandum ineptitudine, refrigerationem inducentes, impediverunt justam sanguinis effervescentiam: & præterea peculiari suâ acrimoniâ moverunt ita nervos sextæ conjugationis, cordi implantatos, ut per poros cerebri, eâ apertos, spiritus animales copiosius in fibras cordis constrictorias fluxerint, & sufficientē cordis dilatationem impediverint: Atque ita, propter duas illas causas, justa sanguinis calefactio, & cordis iustus motus, & calor impedita fuerunt. Atque hinc factus est primo pulsus languidus, rarus, & pene abolutus: qui cum corpus satis calefaceret & sanguinem satis copiose per corpus distribuere non posset, idcirco hunc deinde, ob defectum sanguinis rubicundi, insecutus est cadaverosus faciei pallor; item (ob defectum caloris) omnium membrorum refrigeratio: & (ob vaporum,

rum, ex corpore perpetuò alioquin exhalantium, ex eà refrigerationem & incrassationem) sudor frigidus: nec non, ob spirituum animalium, in cerebro ex tam debili cordis motu deficientium, inopiam) omnis sensus & motus ablatio.

VI.

Vbi autem tandem materia illa prava à corde & ventriculo magnam partem fuit discussa, vel aliò translata, sanguis melior, ad cor paulatim rediens, maiorem concepit effervescentiam; & spiritus, ex cerebro copiosius in fibras cordis dilatatorias fluentes, auxerunt cordis motum, sanguinemque calidiorem per totum corpus distribuentes, revocarunt ægram nostram ad se. Quæ deinde, aliis partibus pravorum humorum, ad cor in ventriculum subinde redeuntibus vel ibi auctis, vel genitis, in lypothymiam rursus subinde incidit.

VII.

Amaror autem, quem in ore percipit, oritur à bile, tum in ventriculo, tum in vasis existente, & in linguam & palatum sese inde effundente.

VIII.

In hoc affectu, quia cor tam graviter afficitur, magnum imminet periculum. Quia tamen ex animi pathemate est ortus, bene de illius *Curatione* est sperandum. Eaque tum in paroxysmo, tum extra eum, consistet in pravorum humorum discussione, & sanguinis & cordis intemperie corrigendas: extra paroxysmum verò, etiam in pravorum humorum evacuatione.

V 3

Vbi



IX.

Vbi itaque in paroxysmo versabitur ægra, aquæ frigide in faciem sparsione, sternutatoriorum in nares inflatione, extremorum frictione & ligatione, nec non aquæ cinnamomi in os infusione, ad se erit revocanda.

Extra paroxysmum verò, primò exhibeatur tale purgans;

℞. fol. sennæ dragm. ij.
 rhabarb. dragm. j.
 fol. absinthij dragm. j.
 sem. anisi feniculi an. dragm. s.
 aq. hordei vnc. iv.

Post levem ebullitionem macerentur simul per noctem in loco calido. Forti expressioni mane factæ addatur syr. ros. solut. vncia j.

Misce F. haustus, aliquoties reiterandus

X.

Si amaror oris perseveret, utatur tali vomitorio:

℞. vini emetici vnc. j. s.
 salis vitrioli albi scrup. s.
 vini albi vnc. ij.

Misce pro Vomitorio.

Interim utatur hoc medicamento cardiaco, quod etiam in ipso paroxysmo exhiberi poterit:

℞. aq. cinnamoni vnc. j.
 succimonum dragm. ij.
 spec. cord. dragm. s.

Misce. Capiat tribus vicibus.

Quo consumpto, utatur hoc julepo:

℞. julepi rosati vnc. ij.
 aq. cinnamomi,
 syr. de limonibus an. vnc. s.
 manus Christi dragm. ij.

Misce,

Misce, & capiat frequenter cochleare unum vel alterum.
 Pro oris amarore uti etiam poterit subinde de hac potione

℞. syr. de limonibus,
 de agresta an. vnc. j. s.
 aq. cinnamomi drag. ij.

Misce.

Uti etiam poterit vino absinthite pro eodem amarore.

XI.

In *dieta* aër sit temperatus & modicè lucidus. Cibus sit con-
 coctu facilis, ex jusculis carniū, hordeatis & amygdalatis.
 Potus sit vinum tenue, cerevisia tenuis. Motus vehementior
 vitetur, & quiescat moderatè. Vitet vehementes animi pertur-
 bationes. Utatur amicis jucundis.

COROLLARIA

I.
Nulla febris quartana à sola bile atra oritur.

II.
Febres intermittentes quotidianas dari, contra Platerum, Affir-
manus.

III.
Morbi occulti non afficiunt occultas nostri corporis qualitates, ut vulgò
Sennertus.

IV.
Laxitas, raritas, densitas partium non sunt morbi materie.

V.
Intemperies occulta non est morbus forme substantialis aut totius sub-
stantie.

VI.
Oculis non inest à natura lux aliquâ, quâ noctu vident feles: ut de
Tiberio narrat Suet.

VII.
Causa myopie non consistit in spiritu animali nimis tenui aut pauco: ve-
rum in crystallini humoris nimia remotione à t. mica retina.

VIII.
Rubedinem sanguis non accipit à substantia epatis rubra; sed rubedo
oriatur à certa dispositione particularum insensibilium: qua fit
per concoctionem & transcolationem.

IX.
Qualitates omnes, vulgò dictæ secundæ, ex primis nec oriuntur, nec
explicari possunt.

X.
Si daretur vacuum, musca in cœlo videri posset.

F I N I S.


00 A 6396

ULB Halle 3
002 928 167



St





ema, de quo bibat
bis terve in die.
gentur tali potione:
ij. fol. sennæ dragm. j.
i. scrup. j.
nzib. an. scrup. s.
tem in aqu. cardui
Mane colatur & adde
ragm. j. s. oxymell. scyll. vnc. j.
haustus.
lis mensibus corpus ejus evacuetur:
m agarico scrup. ij.

18
M E D I C A T I O
M U L I E R I S
S Y N C O P E N
P A T I E N T I S:
Q V A M

Divino adjuvante Numine,

SUB PRÆSIDIO
CLARISSIMI VIRI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ
ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè venturandam proponit

JOHANNES PELT, Gorc:-Batav.

Ad diem 17. Martij, horâ 9. matutinâ.



Natura & Industria.


TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ Iohannis à Noortdijck, In Academ. Typograph.

ANNO MDCCXLVII.

x-rite

colorchecker CLASSIC



mm